

# Giedroyć, Franciszek

---

## Wodociagi i kanały miejskie : z dziejów hygiény w dawnej Polsce

---

Przegląd Historyczny 5/2, 243-258

---

1907

Artykuł umieszczony jest w kolekcji cyfrowej bazum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych, tworzonej przez Muzeum Historii Polski w Warszawie w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego.

Artykuł został opracowany do udostępnienia w Internecie dzięki wsparciu Ministerstwa Nauki i Szkolnictwa Wyższego w ramach dofinansowania działalności upowszechniającej naukę.

Z DZIEJÓW HYGIENY W DAWNEJ POLSCE

## Wodociągi i kanały miejskie.

(Dalszy ciąg)

*Przypis. XI. Jan Olbracht, król polski, dозвала magistratowi m. Płocka zaprowadzić wodociągi.<sup>77</sup>*

(Cracouie, feria quinta, festo Ascensionis Domini, (3. maj.) An. 1498).

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam Nos Johannes Albertus dei gracia Rex Poloniae nec non terrarum Cracouie Sandomirie Siradie Lancicie Mazouie Supremus dux Lithuaniae Russie Prussie etc. Culmensis Elbingensis et Pomeranie dominus et heres. Significamus tenore presencium quibus expedit universis tam presentibus quam futuris quomodo uolentes Ciuitatis nostre plocensis condicionem facere meliorem, sub qua tempore nostri regiminis uberiora sui accipiat incrementa, Consulibus Ciuitatis prefate plocensis plenariam et omnimodam dedimus et concessimus facultatem damusque et concedimus per presentes, Canalia alias *Rury* in loco civili, qui ipsis videbitur comodior, edificandi errigendi et construendi ad eademque aquam undecunque potuerint et voluerint conuertendi et adducendi atque censem de canalibus eisdem soluendum limitandi et statuendi temporibus perpetuis duraturum. Censem eundem per consules prefatos recipiendi exigendi tollendi manualiterque et in effectu perpetualiter leuandi seruandi et conuertendi pro Canaliū eorundem et pro Ciuitatis eiusdem plocensis reformacione presentibus perpetuo duraturum. Harum quibus Sigillum nostrum presentibus est subappensum testimonio litterarum. Actum Cracouie feria quinta festo Ascensionis domini Anno eiusdem millesimo quadragesimo nonagesimo octauo. Regni uero nostri sexto. Presentibus Reuendis in Christo patribus dominis Andrea Archiepiscopo Leopoliensi et Johanne Lubranski Electo Confirmato plocensi nec non Magnificis et Generosis Spythkone de Jaroslaw Cracouiensi Johan-

ne de Tharnow Lublinensi Pallatinis Nicolao de Curozwanki Castellano Siradiensi et alijs dignitarijs et officialibus quamplurimis. Datum per manus uenerabilis Uincencii de Przyeramb Regni nostri Uicecancelarij sincere nobis dilecti.

*Przypis XII.* *Repositio ciuitati Plocen. legator. Thureczki p. Franciscum de Lancicia p. canalibus.*<sup>78)</sup>

(Feria tertia ante festum S. Margarethae, (8. Jul.) An. 1533).

Acta sunt hec coram dominis Paulo raczlaw proconsule et consulibus Ciuitatis plocensis feria tercia ante festum sancte Margarethe Anno domini MDXXXIII. — Personaliter constitutus dns. Franciscus de lancicia filius et heres adoptatus per olim famatum dnm. Stanislaum thureczky, satisfaciens donacioni testamentarie, facte per memoratum dnm. Stanislaum Thureczky, pro aque ductu et canalibus in comod(um) reipblice Ciuitatis, posuit coram ipsis dominis preffatis pignus cum cirografo scripto domini Mathie olbrachto Bacalarij impignoratum in viginti quinque sexagenis numeri Crac. videlicet duos cingulos argenteos mediocres, quindecim cochlearia argentea, octo annulos, quequidem suma non ad alium vsum conuerti debet preter aque ductum.

*Przypis XIII.* *Contractus super aqueductu, Canalibus civitatis Plocensis cum Nicolao Luszczek de Bochnya et sociis eius. Qui contractus feliciter hic est inscriptus de mandato, voluntate consultus et Communitatis totae et ad partis requisitionem.*<sup>79)</sup>

Acta sunt haec feria tercia in vigilia Sanctae Mariae Magdalena (21. Jul.) in praetorio Civitatis Plocensis Anno Domini Millesimo Quingentesimo Trigesimo quarto. Constitutus personaliter circumspexit Nicolaus Luszczek de Bochnya magister aque ductus seu canalium una cum sociis suis Thoma et Casparo de Cracovia sponte et per expressum recognoverunt fecisse contractum et condixisse cum spectabilibus et famatis viris Joanne Alantsee Aromatario Veneto Proconsule Mathia olbracht arcium bacalario Advocato Paulo Raczlaw Joanne Golumbo Joanne Aurifice Casparo textore Martino sellatore Petro gladiatore Cristofforo frenifice Stanislao Radzywski cingulatore Consulibus Civitatis De Consensu scientia et consilio et voluntate unanimi famatorum dominorum Philippi cultrifabri, Stanislai Olssak, Stanislai Gambinski, Jacobi Czurilo antiquorum Consulum ac Severini organistae Ecclesiae Cathedralis senioris Gregorii czyepli Matiae durka, Pauli Goworowski Nicolai Pyatek aurificis, Stanislai golumbi aurificis Joannis Pula textoris, Joannis caldifabri Scabinorum iuratorum Nec non omnium et singulorum seniorum seu ffilmagistrorum fraternitatum et artificiorum ibidem Convocatorum et Congregatorum requisito ad hoc et obtento consensu unanimi totius communitatis et Wlgi eiusdem civi-

tatis Plocensis pro labore aqueductus et Cannalium pro aqua in Civitatem Plocensem deducenda in hunc qui sequitur modum. In primis quod praefatus Nicolaus Lusczek cum sociis suis praefatis Thoma et Casparo submisit se et obligavit facere construere et edificare aqueductum perfectum compleatum et debite consumatum cum piscina molendino aggeribus et ceteris aedificiis ad opus aqueductum oportunis cannalibus duilibus Euripis Sirengis aliisque omnibus instrumentis ad aqueductum huiusmodi quomodolibet necessariis Ita quod aque copia et sufficientia in Civitate Plocensi haberi poterit, quem aqueductum debent facere et sumere a torrente dicto Brzeznica a molendino dicto Crupa usque ad civitatem Plocensem et in ipsa Civitate tria maiora aque receptacula seu fontes et Cisternas unam ex opposito domus domini Apotecarii aliam ex opposito domus domini Radziminski in Circo Civili Terciam vero in circo Capitulari nec non duas statuas aquarias cum ducillis unam in Platea Castrensi in Via transversali prope domum Vyetrzichowski et aliam in Platea dobrzinensi in Via similiter transversali prope domum Novakowski Et preterea ad fontem Balnei Civilis aquam debent ducere. Et aqua debet esse in copia ita quod expost posset duci et sumi commode ad nonnulla braxatoria. Et idem ipsi domini magistri Cannalium praefati post ductionem aque huiusmodi integrum perfectam ad Cisternas tres ad Balneum et statuas tenebuntur probam tenere per annum integrum et providere ac ubi necesse fuerit refficere tam in molendino quam aggere et Cannis eorum impensa Civitas vero dabit robora iuxta exigentiam necessitatibus. Racione cuius laboris praefati Domini Proconsul et Consules Civitatis Plocensis suo ac totius Communitatis eiusdem Civitatis nominibus submiserunt se et obligaverunt solvere praedicto magistro Nicolao Lusczek cum sociis eius octingentos florenos in moneta, in quemlibet florenum per triginta grossos computando numeri et monetae polonicalis Ac omnia robora quantumcunque necesse fuerit ad laborem aedificiorum videlicet turris dictae *rurhaus* ac ad domunculam in qua fabricabitur *Kunsth* ubi in effectu aliquo aque in Brzeznica torrente volvetur rotha equo et sufficientia aque Civitati dabitur. Nec non etiam robora ad Cannas ad fontes Cisternas et statuas expressas debent dare Et ad locum seu loca optima civilibus equis conducere, nec non locum quem ipsi magistri Cannalium elegerint pro parandis cannalibus alias *ku vijerczeniju* debent domini Consulatus eis assignare et tectum a pluvia legere Et Palos atque omnia robora ad aggerem rubetum et finium seu stramen debent eisdem dare et adduci mandare quantum necesse fuerit Nec non ad rothas omnia robora dare et in civitate stratam in plateis commotam lapidibus debebunt e diverso strate et sumptu Civili complanare Nec non quinquaginta Centenarios Plumbi eisdem magistris Cannalium pro fusione Cannarum et etiam *Kunsth* debent dare Et nihilominus locum liberum pro receptione aqueductus videlicet molendinum liberum dictum Crupa in flumine Brzeznica situm una cum rivulis ac eorum decurribus apud Sacram Maiestatem Regiam obtinere et expedire debent in effectu Ita quod sine alicuius contradictione in eodem loco aque ductus supra

expressa videlicet turris *Rurhaus* dicta ac domuncula pro volvenda rotha equo, nec non ager perfectus et alia quomodolibet necessaria secure construi et aedificari possint Aquaque rivulis et solitis suis recursibus in piscinam impedita deduci et defluitari poterit Et insuper Cannalia antiqua quae sunt subtas terram eisdem magistris Cannalium dare debebunt et nihil amplius Reliqua vero omnia ad perficiendum opus iuxta contractum hunc praesentem quomodolibet necessaria videlicet turrim aedificare *rurhaus* dictam et domunculam rotas facere aedificare aggerem fundare et piscinam stabilire alias *staw zastawycz* debito et completo modo ipsi magistri cannalium praefati eorum impensis laboratoribus Carpenteriis fossoribus obligantur et obligati sunt perficere et consumare Nec non omnia instrumenta ferrea videlicet *Buxi* ad cannas iungendas ad rotas et ad alia quaecumque sint de ferro et huiusmodi generis eorum impensa comparanda et fabricanda erunt. Similiter fossores piscinae aggeris firmandae nec non fovearum ad cannas ponendas et terra cooperiendas eorum impensa conduceduntur. Nec non Cistae seu receptacula aque tres maiores et statuae duae et aquae ductus ad fontem Balnei Civilis per eorum carpentarios et fossores ad hoc conductos abricabuntur et in terram ponentur et ferro eorum ubi opus fuerit firmabuntur. Ad turrimque *rurhaus* dictam et domunculam pro volvenda rotha equo tegenda Consulatus Cilindrorum copiam tenebitur eis dare ipsi vero magistri Cannalium per suos tectores et suis clavibus turrim et domunculam prout supra obligati sunt tegere. Quemquidem aqueductum sic ut praemittitur debito modo et sine aliqua vana remoratione perficere completere terminare quam citius poterint se submisserunt et submittunt per praesentes. Adveniente vero extruccionis probe eorum anni unius integrī (s.) eo videlicet modo prout superius obligati sunt Extunc ipsa Cannalia etaqueductum perfectum et debite completum dominis Consulatu resignabunt ad manus eorum iuxta continentiam omnium et singulorum obligationis eorum Pro quibus omnibus et singulis sic ut praemissum est perficiendis et complendis in omnem contrarium quod absit eventum dictus magister Nicolaus Lusczek cum sociis suis se ipsos ac bona sua omnia mobilia et immobilia praesentia et futura ubilibet reperibilia et existentia cum personis suis obligaverunt et quilibet eorum obligavit, subiendo se iurisdictioni et mero examini omnium et singulorum iudicum tam spiritualium quam secularium quarumcunque curiarum, districtuum, Civitatum, oppidorum, magistratum et Consulum ubi obligationem praesentem contigerit exhiberi Ita quod ubicunque cum rebus ac bonis eorum reperiri possint admittunt consentiunt se ipsos cum rebus ac bonis eorum omnibus capi et detineri ubi personaliter apprehendi poterint et ad Civitatem Plocensem tradi et tamdiu teneri usque ad solutionem summae dampnorum et interesse praemissorum occasione incursorum renunciando omnibus exceptionibus iuris et facti Et insuper constituant in procuratores quoscunque Curiarum tam Sacrae Maiestatis Regiae quam Reverendissimorum dominorum Archiepiscopi ac Episcoporum, Palatinorum, Castellanorum et Capitanorum quorumcunque locorum Consindicos seu notarios per praefatos dominos Civitatis Plocensis nominandos ad recognoscen-

dum, obligationem huiusmodi, contractum et submissionem ac ad summae illis exolvendae, receptionem consilendo ac ad omnem eorum cohercionem et compulsionem captionem et detentionem bonorumque eorum receptionem consentiendum et generaliter ad alia omnia facienda quae in praemissis et circa praemissa necessaria fuerint seu quomodolibet oportuna cum Clausulis promissionis et relevationis ab omni onere satisdando. Super quibus omnibus et singulis firmiter duraturis tam instrumenta publica quam ex actis extracta sub Sigillo Civitatis Plocensis a me notario publico subscripto unum vel plura quomodolibet necessaria et oportuna sibi partes praefate dari et confici voluerunt, in fidem et testimonium omnium praemissorum. Actum et datum e Ploczko Anno, loco, die quibus supra, Pontificatu Sanctissimi in Christo patris et domini nostri Domini Clementis divina providentia Papae Septimi anno undecimo. Jozeffus de Ploczko eiusdem Civitatis Publicus notarius suscripsit.

*Przyipis XIV. Obligatio Consulatus ac tocius Communitatis Civitatis Plocensis feliciter facta spectabili viro Domino Joanni Alantsee Aromatario Proconsuli, onus aqueductus suscipienti.<sup>80)</sup>*

Acta sunt haec feria sexta in Vigilia sancti Jacobi Apostoli Anno Domini Millesimo quingentesimo trigesimo quarto (24. Jul.). Spectabilis et Nobilis dominus Joannes Alantsee Venetus Aromatarius et proconsul protunc Plocensis ex una et famati domini Mathias Olbracht Bacalarius Advocatus, Paulus Raczlaw, Joannes columbus, Martinus Sellator Casperus textor Petrus gladiator Joannes Aurifex Christofforus frenifex Stanislaus Radziwski Consules de Consensu unanimi Consilio scientia et voluntate famatorum Dominorum Philipi Cultrifabri Stanislai Olssak Stanislai gambinski antiquorum Consulum ac Severini organistae Ecclesiae Plocensis Cathedralis Gregorii Czyepli, Mathiae durka sutoris Pauli goworowski textoris Nicolai Pyątek aurificis Stanislai columbi aurificis Joannis Pula textoris Joannis Caldifabri Scabinorum iuratorum nec non omnium et singulorum seniorum preffectorum seu ffilmagistrorum fraternitatum et artifficiorum, requisito ad id et obtento consensu Consilio et voluntate unanimi tocius vulgi et Communitatis Civitatis Plocensis ex altera, partibus, facta desuper solenni Convocatione maturaque deliberatione praehabita attendentes quod Civitas Plocensis intra menia sua aquam suam habere non potest Ita quod ipsa aqua magno sumptu et difficultate propter altum sittum loci comparari solet et adduci facto contractu et Condictamine cum circumspecto Nicolao Luszczek de Bochnya et sociis ipsius pro deductione aque in Civitatem Plocensem et Cannalibus Euripis fontibus et ducillariis modo in Contractu eorum expresso construendis Pro quo opere perficiendo multam impensam necessariam circumspiciendo Ad quam ex errario Civili publico pro hac vice non sufficiebant Et propterea cum praefato Domino Aromatario Proconsule Plocensi contractum tales et Condictamen fece-

runt et ordinaverunt solenniter in hunc modum qui sequitur. Ita videlicet quod in primis dicti domini Consules debent dare dominum Aromatario Proconsuli praefato trecentos florenos in moneta a Consulatu Thorunensi ex concordia receptos Cum quinquaginta florenis seu vadimonio per dominum olim Stanislaum Thureczki legatis nec non centum florenos similiter in moneta per dominum olim Paulum Sulislai Canonicum Plocensem ad hoc idem opus legatis, quos dictus dominus Aromatarius proconsul apud se habuit et habet de praesenti Ac ad Sacram Maiestatem Regiam mittere locumque et piscinam liberam cum molendino dicto Krupas in flumine dicto Brzeznica una cum rivulis antiquis et eorum decursibus pro deductione aquae in praefatam piscinam necessariis impetrare obtinere et expedire Ita quod in dicto loco aquaeductus thurris pro Euripis Sirengis et Cannalibus cum molendino Piscina et aliis necessariis construi poterit sine alicuius contradictione et impedimento. Alia vero omnia et singula necessaria videlicet tam summa pecuniarum usque ad octigentorum florenorum extraditionem quam robora et plumbum ad hoc opus et laborem in omnem eventum in quem Reverendissimus dominus Episcopus Plocensis una cum suo Capitulo plumbum et robora prout promisit dare recusaverit. Praefatus dominus Apotecarius ex propriis pecuniis et sumptu suo comparare impendere et ordinare nihil excipiendo quicquid opus labor et aedifica huiusmodi exposcent, tenebitur et debebit. Ratione cuius sumptus et impensae facienda praefatus dominus Apotecarius et sui legitimi successores post consumationem aedificationem et perfectionem dicti totius operis aqueductus et Cannalium debet tenere habere et possidere libere pacifice et quiete in tenuta et potestate sua eadem Cannalia, redditus et proventus omnes ex aqueductu et Cannalibus praefatis totaliter percipere levare et tollere per sex Annos integras Ac infra huiusmodi sex annorum decursum Aqueductum huiusmodi et Cannalia suis impensis reformare si et in quantum aliqua reformatione indigebunt. Quos proventus et redditus ex huiusmodi aqueductu et Cannalibus modo inferius annotato exigere debet et percipere. In primis videlicet a quolibet braxatore Cervisiae a quilibet vice braxacionis per quinque grossos polonicales in mediis ab illis qui habebunt in domo statuam aquariam cum ducillo Qui autem non habebunt in domo statuam aquariam solvent a quilibet vice braxacionis cervisiae per tres grossos Item quilibet quartali anni de quilibet domo in Circulo per duos grossos. Et de plateis de nonnullis domibus habundantioribus per duos grossos. De aliis vero minus habundantibus per grossum unum et ab inquilinis per medientem. Qui vero in domo sua statuam aquariam habere voluerit ille solvet eidem domino Apotecario per unam sexagenam in mediis. Quos omnes redditus et proventus supra scriptos praefatus dominus Apotecarius per sex annos continuos a tempore perfectionis et consumptionis dicti operis aqueductus pro se tollere et libere recipere debebit sine contradictione et impedimento cuiuscunque et per hoc ipsum tempus sexennii liberum usufructum piscinae et molendini ac piscium praehensionem habebit libe-

ram suique habebunt successores. Et quamprimum aqua in Civitatem deducta fuerit sive eciam in uno Cannali mox et incontinenti solucio huiusmodi proventuum et redditum incipi debet saltem per medietatem et exigi Cum autem Cannalia in toto iuxta contractum perficiantur Extunc dicti proventus et redditus ut superius expressum est totaliter solvi debent eidem domino Apotecario usque ad decursum sex annorum Ita quod integrum censum huiusmodi redditum per sex annos pro se tollere debeat et exigere. Lapsis vero sex annis postquam proventus sex annorum exigerit Extunc domini consules Plocenses tenebuntur se quam submittunt et praesentibus obligantur tam futuris pro tempore successoribus proconsule et Consulibus Civitatis Plocensis eidem domino Apotecario vel eius successoribus exsolvere et reponere una cum communitate totam summam pecuniarum quam expendet ad aedificia et opus aqueductus huiusmodi iuxta regestrum ipsius prout exposuerit et in registro suo demonstraverit illis stando absque ulla prolatione vel iuramento videlicet singulis annis medietatem omnium proventuum et censum et alteram reservabunt pro solutione magistris cannalium et refectione cannalium ubi opus fuerit Et sic consequenter singulis annis per medietatem censum praefatorum ex cannalibus solvere obligati sunt usque ad integrum et totalem solucionem summae praefatae quam dictis magistris et pro fabrica praefatorum cannalium exposuerit. Quae omnia et singula facere et adimplere ac exsolvere eidem promiserunt realiter et cum effectu seque et successores pro tempore proconsulem et consules ac universitatem et Communitatem Civitatis Plocensis obligaverunt et obligatos esse voluerunt sub poena vallata mille florenorum in eventum non adimpleonis et transgressionis praemissorum ipso facto succumbendo et dicto domino Apotecario persolvendo sic ut praefertur realiter et in effectu vel eius successoribus. In eventum vero casus fortuiti quod absit si et in quantum cannalia huiusmodi debite perficere vel aqueductum praefatum magistri praedicti perfecte complere et facere non poterint. Casu tali fortuito eveniente Ita quod hoc opus ex aliqua causa confici non poterit et in effectu deduci. Extunc in huiusmodi eventum Dominus Apotecarius pecunias receiptas a dominis Consulibus non tenebitur restituere et domini Consules eciam non tenebuntur eidem domino Apothecario hoc quod ultra exposuerit reddere neque exsolvere sed omnia hinc inde in eventum praedictum quem deus avertat compensari debent. Quod si vero pendente et stante huiusmodi contractu Dominum Apothecarium ab hac luce migrare contigerit Nihilominus posteritatem haeredes coniugem suos obligatos facit Civitati Plocensi ad praemissa omnia exequenda facienda in effectu et adimplenda. Quo vero ad impensam diuturnam pro reformatione cannalium in eventum destructionis faciendam Domini Proconsul et Consules cum Reverendissimo Domino Episcopo et cum dominis venerabilis capituli in futuro Capitulo generali pro festo Nativitatis gloriosissimae virginis Mariae tractabunt constituent diligentiamque facient de praemissis.

*Przypis XV. Actio domini Apotecarii cum communitate occasione cannalium.<sup>81)</sup>*

Acta sunt haec feria quinta ante festum Sti Bartholomaei proxima in pretorii Loco solito Anno 1535 (19. Aug.). Spectabiles famati et providi Mathias Olbrachth Bacalarius proconsul, Joannes columbus Advocatus Martinus Sellator Casparus textor Stanislaus Radziwski Christofforus frenifex moderni Philipus gladiator Stanislaus Gambynski antiqui Consules Mathias Durka Gregorius Czyepli Nicolaus Pyątek aurifex Stanislaus golambek aurifex Joannes Caldifaber Scabini Nec non felix serifaber Albertus Sluzewski sellator fabrorum Joannes Zapalka salsatorum Simon pistor et Jacobus ozegala pistorum Stanislaus Comsa et Bartholomaeus Beda sutorum Valentinus Sartor et Albertus Kosnik sartor Albertus pyata Zass pellificum orzel et iacobus figulorum Ziguwul cum quijatek textorum Archimagistri et seniores omnium fraternitatum ex una et spectabilem dominum Joannem Alantsee aromatarium plocensem ex altera partibus Quomodo orta differentia inter praedictum Consulatum et Archimagistros praeffatos et ipsum Dominum Joannem Alantsee aromatarium occasione perfectionis et consumacionis plenarie aqueductus seu cannalium ad civitatem Plocensem eo quod partim tentatum est ut huiusmodi aqueductus continuaretur perficereturque per communitatem plocensem ac eorum impensa aliisque modis et conditionibus dudum inter ipsos Consules et communitatem ac ipsum Dominum Joannem Alantsee prae datum agitatis in medium productis ita quod ad obscuriora in dies videbant processisse Ac ad ultimum praedicti Domini Consulatus modernus et antiquus Scabini ac omnes et singuli archimagistri fraternitatum supradescripti unanimiter conuenerunt acquieverunt ut is aqueductus iuxta contractum condicamen per Dominum Joannem Alantsee Aromatarium solenniter factum consumaretur continuaereturque modo et conditione in contractu positis Et ad robur et firmitatem tenendi huiusmodi Contractum idem Dominus Joannes in antea non credens communitati ne aliquo quesito colore, prout et nunc ceperunt ad dirimentum et frangendum huiusmodi contractum instantre voluit ut quaeque fraternitas sigilla sua ad huiusmodi contractum applicaret ad quamquidem Sigillorum applicacionem praedicti Domini Consules Scabini omnesque et singuli seniores archimagistri consenserunt consensum suum dederunt et quilibet eorum consensit dedit Promittentes prout promiserunt dictum contractum occasione huiusde aqueductus iuxta eius continentiam et obligationem in omnibus eius punctis et articulis cum ipso Domino Joanne initam tenere et inviolabiliter observare sub poena in contracto ipso vallata et interposita Nec non promiserunt quicunque modo meliori dictus dominus Joannes aromatarius in dicto aqueductu fecerit id ratum et gratum habere et semper observare alias non recedendo a Contractu in nullo puncto et articulo.

*Frzypis XVI.* Eadem occasione cannalium cum apotecario.<sup>82)</sup>

Acta sunt haec feria sexta ante festum s. Bartholomaei Anno domini 1535 (20. Aug.). Personaliter congregati in praetorii loco solito Domini Matias Olbrach Bacalarius Proconsul Joannes columbus advocatus Martinus sellator Casparus textor Cristofforus frenifex Stanislaus Radziwsky moderni Philipus Cultifaber et Stanislaus gambinski antiqui consules Mathias durka gregorius cziepli Nicolaus pyatek aurifex Stanislaus golambek aurifex Joannes caldfaber scabini Nec non Stanislaus Comscha Bartolomeus Beda sutorum Joannes quijatek et Sigismundus textorum Simon et Jacobus ozegala pistorum albertus pijata et Zess pellificium Valentinus et Albertus Kosnik sartorum Jacobus et orzel figurorum Felix ferrifex et Albertus sluzewski sellator fabrorum rogozek laniorum archimagistri et seniores fraternitatum Quemadmodum tractantibus tunc unanimiter cum spectabili viro domino Joanne Alantsee aromatario super aqueductu seu cannalibus ad Civitatem hanc Plocensem Quiquidem dominus Joannes Aromatarius inhibendo contractui et iuxta obligationem desuper sibi factam voluit habere a consulatu et a tota communitate in primis ad summam trecentorum florenorum quindecim florenos ex eadem summa pro via vilensi in expeditione molendini Item voluit habere liberum molendinum exemptum dictum Crupa Item voluit habere expeditam et libertatam apodixam super centum florenos olim Domini Pauli Sulislai Canonici iuxta quod plenius obligacio et contractus hincinde factus laciis canit absque quibus allegabat nullomodo quicquam facere velle nisi prius contractui et obligationi suae faciant satis. Exadverso his auditis communitas descripta voluit ut dictus Dominus Joannes Aromatarius in manus Civiles et tocius communitatis fabricam aqueductus huiusmodi dimitteret offerendo se huiusmodi aqueductum ad finem deducere sua impensa. E diverso Dominus Joannes Alantsee preffatus allegavit conditionem hanc quod si vult communitas ut perfectio aqueductus in eorum manus mitteretur et contractus huiusmodi cessaret Ante omnia voluit ut aquam in sua domo in Civitate et extra menia "in hortu suo sumptu et impensa adductam et acceptam ac libertatam absque aliqua solucione in perpetuum haberet. Ad quod communitas nullomodo consentire nec acquiescere voluit. Ac ibidem in continentia praefatus dominus Joannes Aromatarius protestatus est in haec verba quod ego volo et paratus sum facere contractui suo satis occasione eiusdem aqueductus inter ipsum et totam communitatem facti volens agere occasione disfectionis contractus ac poena vadii mille florenorum in contractu interpositi contra et adversus totam communitatem ut supra descriptam que in vadio ipso dirimendo contractum succubuit. Exceptis consulatu moderno et antiquo et scabinis, qui iuxta contractum stare se offerunt. Ac post modum predicti domini Consules Scabini hiis rebus inter se motis et diu consultatis ipsum Dominum Joannem Alantsee petiverunt studiosius ut semotis ad partem huiusmodi differenceis qui-

bus communitas admittetur turbare opus ceptum in aqueductu huiusmodi sed eundem ad finem iuxta contractum deduceret offerentes se velle stare et inherere contractui. Rogaverunt insuper ut dictus dominus Joannes expecteret et deferret in aliud tempus solutionem dictorum quindecim florenorum Nec non rogaverunt ut dictum molendinum sua impensa eximeret et in expositorum suorum summam adnumerat ut postea simul cum expositis successive summa exemptionis molendini per eum exposita de proventibus aqueductus solveretur quod et facere adeo non denegabat. Ac ibidem dum consulatus ac tota communitas dicto contractui iamiam acquieverunt et eundem tenere voluerunt. Nihilominus idem dominus Joannes Aromatarius optavit ut Sigilla omnium et singularum fraternitatum in contractu essent apposita in maiorem fidem quandoquidem Sigillum civile sit iam subimpressum. Ad quodquidem Archimagistri omnium et singularum fraternitatum unanimis votis acquieverunt. Ac paulopost unus ex eis Albertus Kosnik sartor non opus esse sigillorum huiusmodi applicationem allegavit quando iam Sigillum Civile quod est omnibus commune est subimpressum. Et dixit nolle in ea re quitquam de cetero facere absque communitate recipiens et appellans gratia consultacionis ad totam communitatem cui ProConsul respondit cur appellaret communitatem cum sit haec tota Communitas ubi aliam videret et solus sit particeps in communitate praesertim dum iam nos Consules moderni et antiqui scabini ac alij Archimagistri ad id consensum suum dederunt qua de re contradiceret et opponeret. Sub qua dissensione nihil hactenus conclusum est.

*Przyipis XVII. Contractus ad edificandum aqueductum et cannalia secunda vice factus sequitur.<sup>83)</sup> (27. Jan. 1537).*

Petrus Dei gratia Episcopus Przemisliensis Jacobus Narzym szky Plocensis, Paulus Wolszki Szochaczoviensis, Adam Kijernoski \*) Gostinensis Castellani, iudices commissarii per Serenissimum Principem et dominum Dominum Sigismundum dei gratia Regem Poloniae Magnum Ducem Lithuaniae Russiae Prussiaeque tocius ac Mazoviae etc. dominum et haeredem in Causa et causis differentiarum et controversiarum inter famatos et providos dominos Proconsulem et Consules Civitatis Plocensis et ipsis adhaerentibus ex una et rectores fraternitatum ceterosque cives ac totam communitatem eiusdem civitatis Plocensis subortarum partibus ex altera dati specialiter et deputati. Significamus tenore praesentium quibus expedit generaliter universis quomodo dum in iudicio commissariali ex deputatione sacrae Maiestatis Regiae in Civitate Plocensi pro sopiendis et extinguendis et discernendis controversiis et differenciis quibusuis inter partes praedictas exci-

---

\*) Podług Niesieckiego (Herbarz, T I, str. 324) kasztelanem gostyńskim był Paweł Kierowski, nie zaś Adam.

tatis et motis praesente et assistente nobis Magnifico domino Felice Szrenski de Szokolowo Palatino Plocensi ac mariemburgensi generali et Plocensi terrarum Capitaneo residebamus iudicando pacto tum primis tumultu et sedatis et sopitis inter eos quibus suis publicis controversiis et differenciis ac super propositis et responsis illorum publicis, conclusione et decreto nostro promulgatis postremo tandem suborta controversia inter nobilem et famatos Joannem Alantsee venetum Aromatarium Plocensem ex una et Mathiam Olbrachth ProConsulem Joannem Golab Advocatum Paulum Raczlaw Joannem Aurifabrum Hannus dictum aliosque Consules nec non rectores fraternitatum et cives ac totam communiteatem civitatis Plocensis coram nobis tunc praesentem et astantem de et super aqueductu et edificatione cannalium in eadem civitate Plocensi tandem partes praeffatae de huiusmodi aqueductu et cannalibus talem infrascriptam inter se per medium nostrum fecerunt et fecisse recognoverunt compositionem concordiam et contractum. In primis quod praefatus dominus Aromatarius Plocensis non attento quod cives et communitas primum contractum confirmare noluerunt, prout tenebantur immo reiecerunt ac illi contravenerunt poenam in illo contentam incurrendo ipseque Apothecarius ab hoc onere iam erat prout etiam nunc esse volebat liber Ad nostram tamen intercessionem et instantiam denuo hoc onus suscipit in hunc qui sequitur modum. In primis quod debebit et tenebitur propriis suis impensis et sumptibus aqueductum et cannalia seu Euripos cum fontibus seu cisternis duabus, una penes antiquam Cisternam ante domum suam et alia ex altera parte Circuli penes Pretorium ex opposito domus domini Radzimynszki vel illic ubi melius videbitur. Nec non duas statuas aquarias civiles unam in Platea Castrensi prope domum Vjetrzichowszki in Platea transversali et aliam in Platea Dobrzinensi similiter in platea transversali circa Braxorium Nowakowna Aliamque statuam apud fontem Balnei Civilis edificare poterit. Si balneator impensam facere voluerit Et similiter si contractum fecerit cum dominis Prelatis et Canonicis ecclesiae Cathedralis Plocensis unam cisternam in Circulo in summo dominorum facere poterit impensa eorundem dominorum in Civitate Plocensi debite edificare et construere. Et postquam dictus dominus Aromatarius huiusmodi aqueductum et cannalia debito perfecto modo aedificaverit ad effectum deduxerit et totaliter compleverit et aqua libero transitu perfectis tam cannalibus quam fontibus in circulo per quatuor septimanas fluet, debebit ipse vel sui successores exhibere regestrum omnium expositorum et impensae totius per ipsum ad huiusmodi aqueductum et cannalium factorum (quam summam expositorum ipsius domini ProConsul et Consules totaque communitas civitatis Plocensis sine aliqua contradictione aut replicatione et sine aliquo ipsius domini Apothecarii seu successorum ipsius corporali iuramento in librum Civitatis Plocensis annotare debent et ingrossare regestrisque et recognitioni ipsius verbali et successorum eius simplici in toto fidem habere). Ac eandem summam expositorum in proventibus et redditibus huiusmodi aqueductus et

cannalium per cives Plocenses exsolvendam et reddendam illi obligare prout obligant et inscribunt in his scriptis. Ita videlicet quod praefatus dominus Aromatarius Plocensis et successores ipsius omnes et singulos proventus redditus et quascunque exactio-nes in praeffato primo contractu designatos ab huiusmodi aqueductu et cannalibus ac de molendino et piscina pro se tollere debet et percipere tamdiu usque ad plenariam solutionem dictae summae per ipsum ad huiusmodi aqueductum et cannalia exponenda. Videlicet a quolibet braxatore Cervisiae a qualibet vice braxationis per quinque grossos polonicales in mediis grossis ab illis qui in domo habebunt statuam aquariam qui autem non habebunt in domo solvent a qualibet vice braxationis per tres grossos similes statim post braxatam cervisiam Item ultra praemissa qualibet quartali anni de qualibet domo in circulo per duos grossos et de plateis de nonnullis domibus habundantioribus per duos grossos de aliis vero minus habundantioribus per grossum unum. Quas omnes domus debent Proconsul cum Consulibus scribere et taxare in unumque regestrum deducere iuxta quod census huiusmodi semper exigetur et ab inquilinis per medietatem et quamprimum ci-vitas huiusmodi aqua adductia uti inceperit ad solutionem pro-ventuum et reddituum praefatorum faciendam iuxta primum con-tractum obligati erunt et astricti modo superius designato quam solutionem proventum et redditum praedictorum ut sine aliqua negligentia et contradictione cives praefati Plocenses faciant, consulatus providere debet. Et cives aqua utentes ad solutionem eandem census suprascripti et specificati diligenter compellere quos quidem negligentes et redditus huiusmodi exsolvere nolen-tes debitores: dominus Aromatarius et successores ipsius sine aliquo iuris strepitu querela et requisitione ipsius consulatus pote-rint per se seu familiam suam recepto et saltem ad id adhibito publico servitore seu custode civitatis Plocensis qui eidem in hoc et successoribus ipsius parere et servire tenebitur pignorare et pignora recepta apud se tenere et servare ad duas hebdomadas quae pignora in defectu solutionis ad rationem debiti et retento-rum reddituum distrahere poterit et vendere ad placitum suum et exinde retenta proventum praedictorum pro se recipere et si qui sint cervisiae braxatores qui temeriter et obstinate non so-luta exactione superius designata cervisiam braxare voluerint do-minus Apotecarius cum successoribus suis habebunt facultatem sine omni contradictione alicuius per se vel per famulum suum posse ignem extinguere sub caldari braxatoris huiusmodi et pro-hibere neque admittere braxationem cervisiae tamdiu donec huius-modi proventus et redditus omnes retenti plenarie exsolventur. Ubi vero quispiam adeo rebellis et temerarius fuerit quod ignem extinguere aut pignora recipere non admiserit existens debtor proventum praedictorum Extunc talis poena carcere et decem florenorum monetae currentis praefato domino Apothecario et successoribus ipsius persolvenda puniatur. Nec prius ex carcere dimittetur, donec pro praefata poena satisfecerit in effectu Ad cuiusquidem poenae solutionem dominus Proconsul cum Consuli-

bus praefatos rebelles et retentores prouentuum praedictorum sine omni difficultate et contradictione cum diligentia et sine mora compellere debet et in omnibus praemissis exequendis praefato Domino Apothecario Plocensi et successoribus ipsius ut poterint auctoritate consulari aliquot impedimentum inferre. Sed modo praemisso eidem adiutorio et punitione cui semper servum Civitatis qui singulis quartalibus cum servitore ipsius domini Apothecarij exigat censem istum assignare et ubi opus fuerit auctoritatem protestatam et iurisdictionem omnem necessariam non denegare debebunt. Molendinum autem et piscinam per Sacram Maiestatem Regiam ad usum et commodum huiusmodi aqueductus donatum propriis pecuniis idem Dominus Apothecarius seu successores ipsius redimere debent in effectu apud molendinatorem possessorem dicti molendini Ita tamen quod consulatus et tota communitas Civitatis Plocensis apud Sacram Regiam Maiestatem consum super exemptione praefati molendini et piscinae expedire tegebuntur in personam praefati domini Aromatarii in quo eosdem operis et intercessionibus nostris nos iuvare promisimus ubi vero consensus Sacrae Maiestatis Regiae super exemptionem molendini et piscinae in personam dicti domini Apothecarii expedire non poterit. Extunc dominus Apothecarius non tenebitur edificare canalia praefata tamdiu donec exemerint vel cautionem pro damnis et impensis fideiussoriam facerent. Casu vero quo non possint exemere in effectu extunc dominus Apothecarius non tenebitur ipsis pecunias trecentorum florenorum et similiter centum quinquaginta florenos restituere quos receperat. Sed tantum modo rationem de eisdem facere ubi easdem exposuit ab initio laboris aqueductus huiusmodi quia iuxta primum contractum non parvam fecit impensam, quae in eius dampnum non debet cedere sed ad rationem summarum perceptarum poni. Quequidem summa pro redemptione molendini et piscinae per ipsum seu successores ipsius exponenda coniungi debet cum expositis aqueductus et simul ac totaliter in proventibus et redditibus cannalium praedictorum praefato domino Aromatario inscribi et obligari. Quam ex nunc coram nobis eidem inscripserunt et obligaverunt prout inscrivent et obligant. Quorum quidem cannalium molendini piscinae cisternarum et statuarum aquariorum praefatus dominus Apotecarius et successores ipsius plenum et totale regimen et gubernium tenuitque et possessionem pacificam una cum perceptione omnium proventuum et reddituum praedictorum in sua propria facultate et potestate habere debent et in totum dirigere, regere, possidere et gubernare ac tenere libere habere pacifice et quiete tamdiu usque ad satisfactionem ut praefertur totalis summae expositorum tam pro aqueductu quam molendini et piscinae (exemptionemque omnium aliorum necessariorum quibuscumque nuncupentur nominibus) et illius exemptionem nec in domum alicuius aqueductus Euripi seu statua aquaria vel ducillus admitti poterit aut extrui sine admissione consensu domini Apotecarii Plocensis et successorum ipsius quibus statuas aquarias habere volentes debent solvere ante omnia sex florenos in mediis numeri Cracoviensis ipsi do-

mino Apothecario et aquam cum eius scientia eius propriis impensis ducere ad domos suas hoc tamen expresso et adiecto quod ab eo tempore quo dictus dominus Aromatarius proventus et redditus seu alias quascumque exactiones superius ut praefertur designatas constitutas et ordinatas percipere incepert quod in libro Civitatis inscribi et annotari ipso praesente debet Non debet neque poterit per decennium redimi de tenuta et possessione perceptionis proventuum reddituum et exactionum huiusmodi per Consulatum nec per Cives Plocenses neque per quempiam alium nec successores ipsius. Lapsu vero decennio Consulatus et Cives Plocenses habebunt liberam plenam et omnimodam facultatem eundem dominum Apothecarium seu successores ipsius exemendi et redimi de huiusmodi tenuta et possessione proventuum et reddituum aqueductus ac canalibus huiusmodi. Nec non molendini et piscinae praedictorum. Ita tamen quod ad nullius privatae personae cuiuscunq; status et conditionis exemptio predicta fieri debet sed solum ad usum et commodum solius Civitatis Plocensis. Ceterum si praefatus dominus Apothecarius in dicta piscina et molendino seu aqueductu praedicto ex industria sua aliquas utilitates quae tandem in evidentem utilitatem Civitatis cedere poterint reperire posset, excogitare vel extruere id licite libere et sine alicuius contradictione facere poterit, exposita autem que ad hoc fecerit iuxta regestrum ipsius pro tempore exemptionis suae aut successorum ipsius illis exsolvi debent plenarie et integre modo superius premisso et post exemptionem in usum Civitatis Plocensis ac aliorum per ipsum faciendorum ad bonum publicum cedere debent et converti. Praeterea liberum erit et licitum praefato domino Apothecario et successoribus ipsius aquam huiusmodi adductitiam ad propriam domum et ad hortus suos quae ab omnibus censu isto cannalium erunt semper liberi et exempti pro arbitrio et beneplacito suo deducere absque tamen praiejudicio civili, quod deflectum aque Civitati reportaret. Et Euripos seu cannalia statuasque aquarias et ducillos et omnigenum aqueductum construere seu construi facere expensa tamen propria et non civili. Nec ad rationem expositorum civilium defalcanda; si autem cum aliquibus Civibus contractus aliquos desuper fecerit Consulatus et tota communitas Civitatis Plocensis contractum huiusmodi et omnia praemissa pro rato et grato habere debebunt. Et quoniam huiusmodi aqueductus et cannalia per dominos Consules et cives Plocenses in aliqua parte aedificari incepta sunt Ad quorum aedificationem Consulatus de pecuniis civilibus per manus domini Aromatarii praeconominati trecentos florenos in moneta exposuerunt, praefatus dominus Apothecarius summam praedictam trecentorum florenorum Civitati Plocensi ad fiscum publicum seu errarium repicare debet et restituere ac exsolvare in effectu seu ipsius tenebuntur successors Ad quorum rationem centum florenos veri et liquidi debiti in quibus eidem domino Aromatario domini Consules cum communitate obligabantur ibidem coram nobis consignavit quos centum florenos praefati domini Consules et Cives ad rationem praefatae summae trecentorum florenorum acceptaverunt et defalcauerunt residuum autem dictae summae videlicet ducentos flo-

nos ipse dominus Aromatarius ut praemissum est solvere debet et restituere seu successores ipsius intra spacium quattuor annorum a data praesenti se immediate sequencium Et insuper centum florenos in moneta per Venerabilem olim Paulum Sulislai de Lyczki Canonicum Plocensem Ac quinquaginta florenos per famatum olim dominum Stanislaum Thureczki Civem Plocensem pro praefatto aqueductu legatos et donatos quos ipse dominus Apothecarius apud se habere confessus est, eosdem apud se habere debebit seu sui successores debebunt sine aliquo impedimento et exactione aut repetitione dictae summae tamdiu usque ad tempus redempcionis ipsius aut successorum eius de tenuta proventuum cannalium et molendini praedictorum ac solutionis pecuniarum ad fabricam aqueductus Exemptionem molendini piscinae et aliarum utilitatum expendorum. Cirografum vero super debito centum florenorum pecuniarum videlicet olim domini Pauli Sulislai Canonici Plocensis Reverendus pater dominus lucas divina pacientia Abbas Plocensis Archidiaconus Dobrzinehsis eidem domino Apothecario in praesentia nostra restituere promisit. Quam tamen summam centum quinquaginta florenorum dominus Aromatarius circa redemptionem sui de tenuta et possessione cannalium et proventuum ac molendini et piscinae praedictorum et repositionem summae expositorum ipsius Dominis Consulibus et communitati Civitatis Plocensis defalcare debebit et tenebitur seu sui successores tenebuntur ad rationem summae expositorum huiusmodi Si autem ut praemissum est Consules et communitas non possint molendinum eximere, tunc dominus Apothecarius et sui successores non erunt ad restitutionem summarum praedictarum obligati attentis impensis per ipsum iam factis de quibus facturus est rationem prout iam supra specificatum existit, Debebunt ergo domini Consules et cives Plocenses dicto domino Aromatario loca pro Cannalibus infodiendis et ad omnem aqueductum necessaria tam in Civitate quam in agris et ortis libere et sine omni contradictione admittere ipse autem rursus loca huiusmodi et fossas debebit complanare ut possessoribus in quorum terra fierent non adferant damnum Item domini Consules debebunt vulgum seu Cives a maledictis et clamoribus prohibere ne quid eiusmodi contra eundem dominum Aromatarium effiant, immo delinquentes poenis et carceribus castigare et cohercere, maxime tum quando ob destructionem canalis aqua non fluaret Et nihilominus dicti Domini Consules providere debent, ne etiam eidem Domino Aromatario a vulgo aliquae violentiae et iniuria in hoc opere maliciose inferantur. Quandoquidem non ex publica sed ex privata sua pecunia hoc aedificet. In eventum vero in quem aliquis ex Civibus aliquod damnum vel violentiam in thurri seu thurribus Euripis Cisternis fontibus canalibus aut statuis aquariis ubicunque intulerit, talis ut reipublicae violator iuxta decretum iuris punietur. Quae omnia et singula partes praefatae inter se tenere debent et observare inviolabiliter sub poena vallata mille florenorum auri in auro hungaricalium pro una ad fiscum Sacrae Regiae Maiestatis et pro alia partibus parti tenenti contractum in eventum contraventionis

praemissorum per partem contravenientem succumbendo et persolvendo Et quae debent per Sacram Regiam Maiestatem dominum nostrum clementissimum ad unius partis instantiam confirmari ad robur omnium et singulorum praemissorum hic expressorum. In quorum omnium et singulorum expaessorum et descriptorum fidem et testimonium sigilla; primum Civile ac demum per ordinem fraternitatum mechanicorum Civitatis Plocensis de omnium expresso consensu et voluntate unanimi sunt subimpressa. Actum et datum in pretorio eiusdem Civitatis Plocensis die Sabato ante festum purificationis gloriosissimae Virginis Mariae anno partus eisdem Millesimo Quingentesimo Trigesimo septimo.

FR. GIEDROYĆ.

(c. d. n.)

---